

311
6.12

D I S P U T A T I O N E
Regia di pietatis De
PHILOSOPHICA INAUGURALIS
MAGIA NATURALI

Quam
Divina Affulgente Gratia.

In Regia Universitate CHRISTINÆ, ex decreto &
unanimi approbatione veneranda & amplissima
Facult: Philosophica.

Magnifico Rectore,
Reverendo & Excellentissimo Viro

DN. M. SIMONE KEXLERO
Mathematum Professore per celebri & industrio.

Spectabiliq; Decano

Reverendo & Praclarissimo Viro

D. M. NICOLAUS L. NYCOPENSI,
Log. & Poëticos Professore eximio,

SUB PRÆSIDIO

Reverendi & Praecellentissimi Viri

D. M. GEORGII C. ALANI,
Phys. & Botan: Professoris acutissimi. Praceptoris
& Fautoris sui ætatem colendi,

Pro Magisterij gradu, ejusq; privilegijs reportandis
publica censura submittit

JOHANNES MAT. MUNTHELIUS
WESTMANNUS Medic. Stud.

In Auditorio superiori ad diem 23 Aprilis Anni Christianæ 1645.
horis ab g. matutinis.

19

A B O E. Excudebat Petrus Bald Acad. Typogr. 1645.

ILLUSTRISSIMO DOMINO,

DN. GABRIELI Grenstierna

B E N E D I C T I

LIB. BARONI de Mörby & Lindholmen/Domino
de Rosenberg/ &c. S. R. M. tis Regniq; Svecici
Consiliario & Senatori eminentissimo, Thesaura-
rio amplissimo; Vermelandiæ judici provin-
ciali æquissimo, Domino meo Clementi
& meccenati summo.

Uc E

Illustri & Generosissimo Domino,

DN. CLAUDIO Horn

C H R I S T I E R N L

LIB. B. de Åminne/Domino de Wijlhusa/ &c. Equiti
Aurato, inclyti Regni Sveciæ Senatori gravissimo, judicij mili-
taris Assessori consultissimo, cohortis nobil: Regni Svecici
magniç; Ducat° Finland: Tribuno Strenuissimo, Patrono
suo & Domino gratiose omni submissione colendo.

Nec Non

Prudentissimo & Spectatissimo Viro

Dn. CLAUDIO ERICI Torschus/

Generosiss: Dn. D. CLAUDII Torschus Advocato consultilli-
mo, nutritio meo & Fautori pro multis meritis
plurimum honorando.

Hanc Disputationem Inauguralem, loco examinis Publici conscriptam, in qua-
leunq; promeritæ & humilimæ gratitudinis argumentum reverenter & sub-
missè in certam sui promovendi spem sacram vult.

I. Mem. Ma. M. S. 11. 1. 12
Aesthous et R. Schmidani

5.

D I S P U T A T I O
PHILOSOPHICA INAUGURALIS

De

MAGIA NATURALI

Quam

Divina Affulgente Gratia

In Regia Universitate CHRISTINÆ, ex decreto &
unanimi approbatione veneranda & amplissima
Facult: Philosophica.

Magnifico Rector,

Reverendo & Excellentissimo Viro

DN. M. SIMONE KEXLERO
Mathematum Professore per celebri & industrio.

Spectabiliq; Decano

Reverendo & Praclarissimo Viro

D. M. NICOLAO L. NYCOPENSI,
Log. & Poëtico Professore eximio,

Sub PRÆSIDIO

Reverendi & Præcellentissimi Viri

D. M. G E O R G II C. ALANI,
Phys. & Botan: Professoris acutissimi. Praceptoris
& Fautoris sui ætatè colendi,

Pro Magisterij gradu, ejusq; privilegijs reportandis
publica censura submittit

JOHANNES MAT. MUNTHELIUS
WESTMANNUS Medic. Stud.

In Auditorio superiori ad diem 19. Aprilis Anni Christianæ anno 1645.
horis ab 8. matutinis.

A B O È, Excudebat Petrus Wald Acad. Typogr. 1645.

Reverendo & clarissimo viro
n. M. Matthia N. Turnentano
pastori Cognitum nec non adja-
centium Ecclesiarum Praeposito vi-
gilantissimo, fautori propensi-
simo etatem omni observantia
genero colendo.

Hanc disputationem
gradualem loco examini
publici conscriptam in
qualecunq; promerita
& humilitate gratitudi-
nis argumentum submissi
Sacram vult.

Johannes Müntheliq;
A. & Resp.

PRO O E M I U M.

Si unquam inter praeclara & splendida Dei dona humano generi concessa, aliquod sinistris mortaliūm iudicij, preter jus & fas fuit obnoxium, certe in primis vel ante omnia præsertim in hoc exulcerato seculo, Magia naturalē fato illo premi & tm. non opprimenti, nemo fuerit facile qui ambabat altrō non largiatur manibus. Plebs enim nihil celebrat nisi quod faciat ad salivam, seq; crasso fumo in oculos coniicit; quod namq; foris non splendet, sed in abdito nobilitatem ornamentiāq; gerit sua, damnatur. Quod cerie hominum mores penitus introspicienti, multum admiratio-
nis parere non posse arbitror. Nam quid quid divinius nobilius, & obscurorum in idia, ignobilium & vulgarium malevolentia, pleblejorum & indoctorum temerarijs delirijs, iudicij magis ex-
positum. Verum hisce sua relinquenda, cum sciamus horum judicia ab omni sapientia memoria hactenus fuisse infamia. Ad sapientiorum igitur confugiendum Judicis putamus, apud quos haec Ma-
gia immēritō haud exilem possidet Majestatem. Hac enim unā lama
pade Physicus plus cernit, quam vulgares fere omnes aperto sole.
Et si quod res est fatendum, nullibi in Phyco studio, tantum credimus oblectamenti esse, quantum in sola Magia. Haec enim Hele-
na est de qua certant docti pariter & indocti, in hac lese mascula humana exer-
cet industria. Quod ipsum satis agnovit Neapolitanus Ioh.
Porta solertissimus ille arcanorum naturæ investigator & admi-
rator. Disputant multi de vacuo, de Infinito, de aeternitate,
mundi & alijs questionibus Physicis, Verum ut eleganter loquitur Liba-
vius, ubi arxiē singula evolverunt, nihil amplius in singularitate rerum pro-
fecerunt, quam forte mediocriter doctus. E. Contrario sublimis illa
Magia diem in rerum latentium cognitione versatur, stupenda no-
bis D. O. M. opera patefacit, totq; natura pandit arcana, ut

etiam vulgo ocellata natura proprietates beneficio solertia inquisitionis exploratas habent, qua Sympathias & Antipathias effecti, per quae admiranda inquirit. Hec herbarum animalium, mineralium, immo rerum omnium abdita & in sinu naturae recondita de-
promit. Sine hac certe Medicina nihil. Medicus enim signatarum erit gnarus in hac fundatarum, e quibus mutua membrorum corporis & Plantarum analogica Sympathia & conspiratio inve-
stiganda. Simplicium qualitates non consideranda solum, sed maxime eorum arcana. Medicus enim non circa amarum & exterior-
em corticem se occupatus; Sed internam vim illam & occultam operandi virtutem, quasi natura dotem Plantæ seu animæ a summo Deo inditam &
infusam consideret. Hec non nisi acriore mentis percusi acce la-
gentes prodit divitias ac delicias. Hec insuper magnalia Dei
in natura deprendit; Hec divino beneficio per divinum ratio-
nis instrumentum & opera admiranda, Dei imaginem inter ho-
mines naturaliter representat, facitq; verè Physicum & Medicum.

Cum igitur praesentis materiae tanta sit dignitas
præstantia & utilitas, quis mirum ducat, quod in ejus na-
turam & conditionem, paulò accuratiorem institue-
rim inquisitionem, præfertim cum mihi ad voluntatem
eorum, quorum interest, parentum loco, rebus meis pro-
spicere, nec non venerande & amplissimæ in hac Regia
universitate C H R I S T I N Æ, Facult: Philosophicæ per-
missionem & approbationem, specimen aliquod, loco
examinis publici, pro consequendis in dicta facultate,
summis honorib⁹, publica Disputatione edendum esset,
volui in hac difficultima Materia de Magia, ingenium
qualecunq; lubens exercere. Non quod certo certius
mihi persuaderem in ea omnes difficultates me vel eme-
tiri, vel prorsus devorare posse, cum sciam altioris hoc es-
se acuminis: Sed quia mihi tam Medico, quam Philo-
sophico studio addicto, hæc videbatur cōvenientissima,
cujus

eiusq; materiæ nunquam satis laudanda nobilitas in
me disputatore quemvis compensaret defectum.

DISPUTATIONIS.

Thef. I.

Extra omnem dubitationis aleam cum Eruditis ponimus, naturalem dari Magiam, cuius considerationem hic bono cum Deo impræsentiarum suscipimus. Nam quis ignorat, nisi cui fungus pro cerebro, infinitas & inestimabiles esse rerum naturalium virtutes tam occultas, quam manifestas, quas si cognitas perspectas & haberet naturæ scrutator, & ad usum applicare noscet, hanc dubiè mira posset efficere, multa certè naturæ miracula in ipsa naturæ Majestate penitus abdita, dicente Plinio. Ast hæc Magia rerum admiriculo earundemq; mutua ac oportuna applicatione opera efficere docet admiranda vulgi captum excedentia. Quò enim major ignorantia, eò major admiratio. Nunc autem quod non extenterimus rei apud nos aliqui celebres fieri ob rerum inopiam putamus; Cum in India & Æthiopia, ut priscis temporibus maximè vigebat, ita etiamnum vigeat, ubi animantium, herbarum, lapidum, cæterorumq; ad id spectantium multa suppetit copia; Ex hisce ergo constare putamus, hujus Magie opera nihil aliud esse quam naturæ opera: ars autem illius ministra. Natura ipsæ plantas, herbas aliq; parit, ars u. præparat.

II. Hinc illos satis mirari non possumus, quibus
bac de quâ loquimur Magia tantoperè in fastidio fuit,
Et etiamnum sit, ut afferant eximios Philosophos o-
mnis Magiae fuisse inexpertes, eosq; qui cum suâ Philo-
sophiâ Magiam conjunxerè, nulla alia nisi nefanda
præditos fuisse, cuius omnis vis consistat in ceremonijs,
verbis, imaginibus & similibus. Quod certe veri-
tati minimè consonum est, Datur enim ut in Th. I.
dictum præter malam & fugiendam, bona & am-
plectenda Magia, quam cum cæteris scientijs
Adamo à Deo communicatam, ejusq; peritissi-
mum fuisse Salomonem regem probabilissimum
judicamus: Qua v. Magia imbuti fuerint Magi
illi, quorum in sacris literis fit mentio, in dubio re-
linquimus.

III. Cum v. juxta Logicorum decreta, questio-
nem An sit sequatur questio quid sit, recta nos proce-
dere via censemus, si originem vocis præmiserimus,
priusquam rem ipsam attingamus, prout præclare ali-
cubi celeberrimæ famæ Medicus monet Galenus.

IV. Sciendum v. est, quod Magia vox sit Persi-
ca, qua illis notat rerum humanarum divinarumq;
Scientiam, Magus v. sapientem: unde videre est Pri-
mo apud Persas hoc nomen fuisse honestissimum: Po-
stea v. successu temporis factum famosissimum, hone-
stissimoq; Magia nomini magnam inustam esse infi-

niām, culpa non propriā, sed alienā. Ut sāpē labem \mathfrak{E}
maculam contrahere solent nomina. Hoc a. no-
men apud vulgus odiosum & famosum fecit col-
luyies impostorum, qui ex commercio cum Dæ-
mone res stupendas efficiunt, quales sunt præsti-
giatores, incantatores, Necromantici, alijq; simi-
les malefici homines; Tandem hodie Magie nomen
MESON est \mathfrak{E} bonis \mathfrak{E} malis competens, \mathfrak{E} sic præ-
eisē sumptū significat facultatem quandā, quā homines
nō tm. res sciunt abditas, sed \mathfrak{E} efficiunt res inusitatas
 \mathfrak{E} admirandas ratione quadā occultā alijsq; incognita.

V. Fuxta vocis postremam expositionem, Ma-
gia generaliter accepta dispescitur in Naturalem
seu licitam, & Dæmoniacam seu illicitam. Nos
impræsentiarum primariò \mathfrak{E} maximè solliciti de priori
funus, cuius tamen consideratione absoluta, levi bra-
chio attingemus aliqua descriptione Dæmoniacam,
quò indoles etiam ejus aliqualiter dispaleſcat.

VI. Hisce ita prælibatis, quæ ad nominis exposicio-
nem pertinent, sequitur Realis Magie naturalis,
Definitio exponenda, quam antequam demus abso-
lutam, dispicienda nobis erit propria \mathfrak{E} nativa parti-
um ejus constitutivarum qualitas.

VII. Naturam Magie hujus intimius perspec-
tis, Generis investigatio, tamquam primum prin-
cipium attendendi ea, quæ ad internam rei tracta-

tionem & enodationem spectant attendenda: Ge-
nus itaq; ejus facimus Habitum, cum Magia sit acci-
dens, & quidem ex prædicamento Qualitatis, igitur
ad aliquam ejus speciem referenda, & quidem primam
cum sit Magia habitus, & quidem animi non innatus:
sic enim quisvis renunciaretur Magus; sed longo usu
crebrisq; studijs comparatus. Hic nota quod non
nulli scientiam; alij v. artem pro genere Magiae
venditent: verum contra illos stare Canonem logi-
cum sciant, Genus Definito ne sit angustius, Per
scientiam enim excluditur Magia practica: per
artem Magia Theoretica.

VIII. Constat igitur ex prolatis, Genus esse Ha-
bitum quidem animi: Differentiam Definitionis
Magiae Clariss: Sperlingij calculo approbatam dicimus
sumi Primò ab Objecto: Proprium enim & specificum
esse habitus à proprio dependet objecto, unde etiam Differentia inde petenda est. Objectum v.
geminum est: Res abditæ & opera admiranda.
Magia enim mundi totius exactior est cognitio, ubi ex
caelorū, stellarum Elementorum, effluviorū, mineralium,
plantarum animalium &c. naturis & viribus
delitescentibus vestigantur & indagantur arcana.
Hæc etiam cognitionem ad praxin dirigit, taliq; ope-
ra producit quæ rerum ignaris prodigiosa & miraculo-
sa videntur. Secundo à partibus integrantibus ana-
lo-

*logis,, quæ sunt scientia, non quidem rerum quarumvis,
sed ob curarum; Et ars, quæ itidem non operum est
vulgarium, sed admirandorum, ubi è rerum qualitatibus
occultis, vel etiam manifestis alti perspectis, suoq; loco
modo & tempore applicatis mira perficiuntur effecta.*

I X. Hisce præmissis & pro instituto declaratis,
jam brevi verborum complexu Definitionem Magie
naturalis stylo Clariss: Sperlingij informatam, subjun-
gemus. Magia est habitus rerum abditarum sci-
entiâ, operumq; admirandorum arte constans.

X. Magie definitionem rectè excipiet ejusdem
Divisio: Dividitur a. rectè in Theoreticam &
Practicam. Quam non dicimus esse generis in spe-
cies; sed totius integralis in partes integrantes, cum
hic totum non contrahatur per naturam superadditam,
sed limitetur per partes quibus constat. Vel cum to-
tum quod hic distribuitur non de quavis parte seorsim
considerata in casu recto univoce & essentialiter præ-
dicetur, partesq; distributionis copulativè de distributo
enunciantur, non disjunctive, sequitur E. Distributio-
nem hanc esse totius integralis in partes integrantes
non quidem quantitativas, sed Analogas istis propor-
tione respondentes scil. intensivas, non extensivas;
quales in ipsa Philosophia habitualiter consideratas, con-
spicere licet, Theoricam nempe & practicam seu sapi-
entiam & prudentiam.

XI. Hic diligenter etiam notandum, non statim Theoricā
hac Magia pollere parte eum, qui Physicæ precepta, aut unam al-
teram ve ejus percepit controversiam: que certè vulgaria sunt;
singularia & abstrusa complectitur Magia h.e. ratione Theorias
Qualitatum occultarum & manifestarum cognitionem mutueq;
Sympathias & Antipathias à prenominatis promanantium noti-
tiam exactam & accuratam notat.

XII. Clarum ergo cum sit, hanc fundari Magiam
in rerum Sympathia & Antipathia; has v. oriri nunc
ex occultis, nunc ex qualitatibus manifestis. Funda-
mentum amoris & odij Qualitas. Operæ pre-
stium nos facturos censemus si hic etiam (quod jure fit,
cum ita invicem hæc cohærent ut Magia sine ac-
curata prædictarum qualitatum cognitione nulla
sit) Qualitatis sub momento secundo acceptæ, & pro-
ut considerationis Physicæ est, naturam paucis at-
tingamus.

XIII. Qualitas est affectio intrinseca corporis
naturalis, quâ illud est potens ad agendum vel
patiendum. ut Lux, Calor, Frigus, &c.

XIV. Hinc facile patet Descriptionis hujus ge-
nus, quod est affectio & quidem intrinseca, quia ei in-
heret, quodve hoc innoscit discursu: Quicquid
corpori naturali, omni, soli, semper & primariò
inest, illud vera & intrinseca ejus est Affectio, At
Qualitas Physica corpori naturali omni, soli, sem-
per, & primariò inest. E.

XV. Differentia sumitur ab ejus officio: agunt
Et patiuntur corpora naturalia per qualitates. Ignis
enim immediate non urit, nec lignum immediate combu-
ritur. Sed Et ibi Et hic certae intervenient qualitates.

XVI. Explicata sic Definitione, rectâ ad ejusdem
Distributionem, in qua secundus gradus cognitionis
consistit: dum quidditate in genere perspecta, quot mo-
dis ea ipsa specialius exeratur nonnihil intimius consi-
deramus. Quod a. facile expediemus, si prius
innotescat, Qualitatem aliter dividendam esse
ratione suæ essentiæ, aliter v. ratione nostri intel-
lectus, illud q; fieri per se; hoc v. per accidens.

XVII. Quantum ergo ad prius, dividuntur re-
^{uplias} et
telle Qualitates in Activas & Passivas. Quæ di-
visio in ipsa natura est fundata: Nam cum non solum
agent, verum etiam patientur non raro corpora, nece-
sum est præter activas, etiam passivas speculari quali-
tates; ut in igne datur non solum activitas comburen-
di; verum etiam in ligno passiva datur qualitas Et fa-
cilitas ignem concipiendi.

XVIII. Activa qualitas est quâ corpus natu-
rale est potens ad agendum. Ut Caliditas ignis,
frigiditas aquæ Et. quæ certè ubi vis locorum ob viæ
sunt. Nobilissimis qualitatibus activis prædicta astra,
quibus admiranda in hisce sublunaribus edunt effecta.
Quis ignorat validissimas Elementorum qualitates.

Et certè quam latè formarum specificarum patet
ratio, tam latè sese diffundit ambitus qualitatum;
nulla enim species otiosa. E. qualitatum ope agit,
quarum nobiliores corporib⁹ nobilioribus, igno-
biliaribus ignobiliores sunt concessæ.

XIX. Passiva est qua corpus est potens ad pa-
tiendum. Ut potentia ad concipiendam flam-
mam in sulphure, oleo aut pice. Potentia in animali-
bus ad morbos & mortem. Et bella duellaq^j in uni-
verso vigent mundo, ubi Leo etiam bellicosissimus ac
nobilissimus, pati, labi ac mori cogitur. Non tam ob
substantias, quam qualitates passivas.

XX. Utraq^j vicissim harum vel Realis seu Ma-
terialis, vel etiam Intentionalis seu Spiritalis est.
ubi notandum Reale hic idem esse cum materiali, &
intentionale cum spiritali. Non enim hic sermo de pri-
ma aut secunda intentione est; sed de qualitatibus nunc
magis, nunc minus materia immersis.

XXI. Realis est quæ in Subjecto remanet il-
ludq; non nisi in astans operari facit. Sic calor
in igne, sese ad extra non diffundit sc. in aërem; sed u-
bicunq^j calor est, ibi ignis. Frigus etiam ex aqua in
aërem non migrat, sed ubi frigus, ibi vel aqua vel ato-
mi aquæ.

XXII. Intentionalis est quæ à subjecto in ob-
via quævis spargitur, illudq; in distans etiam o-

perari facit. Sic lumen à sole egreditur, totumq;
mundum inferiorem illuminat.

XXIII. Hinc satis liquet hasce qualitates differ-
re dupliciter: 1.^o Inhaſione. 2.^o Operatione. d. ſunt
utramq; p
Præterea hic diligenter notanda vocum harum varia
acceptio. Reale tripliciter sumitur. 1. Prout op-
ponitur Enti rationis, hoc ſenſu omnia Entia realia
ſunt, quæ à noſtra ratione non finguntur. Sic ſane
lumen Ens eſt reale, non ſecus ac lux, ſol, & homo.
Cerberus v. Ens reale non eſt, neq; chimera. 2. Pro-
ut opponitur enti in potentia. Quo pacto omnia
Entia realia ſunt, quæ aelu exiſtūt. Sic terra, ignis &c.
Entia realia ſunt. Lumen etiam prout acta in aëre ne
baret, Ens reale eſt. Dies v. crastinus & pax fu-
ra realia entia non ſunt. 3. Prout opponitur enti
ſpirituali. Qua ratione entia realia & materialia
ſynonyma ſunt, ſicut & ſpiritualia ac intentionalia
atq; ſic lumen Ens reale non eſt, ſed ſpirituale. Non
ſecus ac imago in ſpeculo, omnesq; colores apparentes.
Pari modo Intentio dupliciter dicitur. 1.^o De no-
tione, ſive prima, ſive ſecundâ animæ. Et ſic
lumen ens intentionale non eſt, quia datur extra o-
mnen ad animam respectum. 2.^o De imagine alte-
rius repræſentativâ. Atq; ſic lumen ens intentiona-
le eſt, quia nihil niſi lucis imago eſt.

XXIV. Quantum ad posterius & quo ad rei cognosci, sive respectu nostri: Qualitas alia est Manifesta, alia occultæ.

XXV. Manifesta est quæ in sensus incurrit, proprioq; nomine à nobis designatur. Ut caliditas, frigiditas, humiditas &c.

XXVI. Occulta est quæ sensus fugit, proprioq; nomine designari nequit. ut qualitas magnetis attractoris ferrum, Veneni necantis homines &c.

XXVII. Ex hisce jam omnibus quæ dictasunt, sequentia Porismata maximè ad præsentis materiae ubiorem explicationem facientia, eruimus. T. Naturam per manifestas qualitates nec nihil, nec omnia agere. Mortuæ certè & invalidæ non sunt qualitates manifestæ; sed viribus pollent maximis. Calorem & frig⁹ qualitates actuosissimas esse quis negat? Stultum certè est contra sensum disputare & experientiæ quotidianæ indicere bellum. Omnia tamen ad qualitates manifestas deducere sumam putamus cum Scaligero esse impudentiam. Exerc. 218. f. 8. Nam quis ad manifestas basce deducet, quod cor hirundinis palpitans devoratum conferat ad memoriam: Turturis calens ad omnes febres intermitentes. Anas viva ventri admota, termina compescit: Scorpius suo vulneri impositus, injec-

Elum virus exhaustus: vivens aranea juglandis testis inclusa colloq^z subnexa quartanam depellit. Ranarum oculi ante solis ortum eruti, vivis illis in aquam demissis, alligati, tertianas abigere traduntur: ossiculum è poplite leporum ad nephritidem & spasmum flatulentum: intestinum lupi ad colicum dolorem: piscium quorundam ossicula ad calculum: cor corvi gestatum ad inhibendum somnum: cor vespertilionis ad eundum accersendum.

XXVIII. 2. Qualitates revera dari occultas, earumq; doctrinam asylum non esse ignorantiae probatum hoc discursu damus. Paeoniam sive hominis suspendio necati calvam, mederi Epilepsia spectam, unde vis hæc medendi quæsitum omni tempore à Medicis: à materia esse nequit, quia hæc passivum, non activum est principium. Erit ergo à formâ. si à formâ vel immediatè, vel mediata. Non immediatè, quia Nulla substantia creata est immediatum actionum talium principium. Ergo mediata, ergo mediante aliqua qualitate, si à qualitate vel à manifesta, vel occultâ. Non à manifesta, quia nec per caliditatem, nec frigiditatem, nec humiditatem, nec per siccitatem cæterasq; mirus ille fit effectus. Res enim aliae istis qualitatibus prædictæ Epilepsie non medentur. E. ab occulta. E. dantur qualitates occultæ, earumq; doctrina asylum non est ignorantia.

*XXIX. 3. Occultas hæc potentias nobis revo-
care in mentem Primo inexhaustos naturæ esse the-
sauros, nullumq; laborem in Physicis esse nimium. Hinc
ergo quivis naturæ scrutator à cæco fastu & pre-
conceptis opinionibus liber sit. Secundò fru-
stra quosdam negare, non dari actionem in distans
nisi prius agendo & afficiendo medium.* → *Nam
contrarium probamus evidentissimo hoc exemplo:
Magnes ferrum attrahit, licet medium virtutis illius
capax non sit. Et quamvis tabella interponatur li-
gneæ aut pelvis ænea, tñ. imperio paret ferrum, mo-
tumq; capescit. Nec hoc saltem magna magnetis pre-
stat virtus, sed imperscrutabili modo ad ipsos se conver-
tit polos, nunc exactè lineam servans polarem, nunc
varians ac devians. Mira si fuit actio inter ma-
gnetem & ferrum ob aliqualem distantiam, stu-
penda planè erit haec inter Magnetem & stellas
polares. Plura exempla hanc assertiōem corrobo-
rantiā videri possunt apud Clariss: Sperling. pag.
328. & seqq.*

*XXX. 4. Differre qualitates occultas à mani-
festis Latentiâ & Potentiâ. Sensibus enim perci-
piuntur manifesta, verum in occultis silent sensus ta-
ctiq; suspendunt judicium, solo produntur effectu, ut
loquitur Peucerus: nec sapore, nec odore, nec ta-
ctu, nec ullo deniq; sensu explorari & judicari*
pro-

propriè possunt; sed una observatione & experien-
tia, prævio quidem sensu in notatione effectorum:
ratione v. duce ac Magistrâ, tempore multo, ex per-
petua effectorum congruentia depræhenduntur.

Accedit ad hoc etiam nominum latentia. Præterea
in minima quantitate venena in corpore illæsa latere
possunt, tandemque longo post tempore vires suas exse-
runt; id quod qualitates Elementares præstare non
possunt. Sic exigua sputi portio canis rabidi, illæsa in
corpore manere & contra caloris nostri actionem sese
tueri potest; tandemque post menses non solum sex, sed
longè plures etiam gravissimas corpori nostro mutatio-
nes inducit.

XXXI. Potentiam qualitatum manifestarum
qui negat, solum adeat ignem, vel nudus paululum
in intensissimo frigore versetur. Ast longe majorem
occultarum esse virtutem decantat passim natura.
Nam tempore pestis quam multi, quam subito,
quam miserè necantur! non à frigiditate, sed oc-
cultâ qualitate. Sit sanè calor febrilis potentissi-
mus: at longè potentior hæc veneni in minima portione
qualitas. Certè quod calor septem dierum spatio per-
agit, id qualitas hæc temporis præstat momento. De
qualitate jam veneni hic quod dicimus, idem de
cunctis qualitatibus manifestis in ordine ad A-
lexipharmacâ, ad qualitatem narcoticam opij,

adq; cæteras qualitates occultas omnes dicendum censemus. Et certè quis rerum plurimarum *Sympathias* & *Antipathias* ex manifestis deducet?

XXXII. 5. Sympathiam, quæ amor est naturalis corporis unius erga aliud; Et rerum Antipathiam, quæ odium est naturale unius corporis erga aliud, ex qualitatibus nunc manifestis, nunc occultis, cum amoris & odij fundamentum sit qualitas, oriri: easq; in rerum natura dari affirmamus, quodq; nemo negabit, nisi qui mentis cæcitatem laborat. Nam asserimus intrepide quædam esse, quæ mutuo connubio sibi invicem assiciantur & tanquam fœdere devinciuntur; in cuius testimonium exempla infinita, longo rerum usu & experientia approbata, enumerare, si opus esset, possemus. Nonne enim amico consortio naturali affecta inter se devincta conspicuntur lacerta & homo. illa n. hujus conspectu lætatur maximè; vulpes cum serpente degit amicè: amant pavones columbas, merulæ turdos, Et niger à viridi turtur amatur ave. Ignis igni mutuo velut connubio associatur. Manus enim adusta igni si admoveatur, curatur. Medicamenta adustis proficia sunt calida, non frigida. Simile ad simile tendit, & simile simili curari, non sine iudicio certè dictum à Paracelso. Ova frigore lœsa cum frigidæ injiciuntur aquæ, frigus internum velut

fædere facto ad externum ruit. Pedes frigore congelati
gelidis siterantur nivib^o aut frigidis injiciantur aquis,
pristino restituuntur vigori. Venenum venenum at-
trahit, morsusq; animalium venenatorum venenorum
applicatione curantur mirifice. Divina virgula, bifi-
dus ille surculus ex corylo decisus, quo metallarij
venas auri & argenti feraces explorant, habet
connatam Sympathiam ad metalla.

XXXIII. 6. Revera dari etiam contendimus
quædam, quæ sibi ipsis infesta similitate dissentiant, cæ-
ci q; laborant discordijs; Nam ut raptus & amor si-
milium, ita odium ac fuga dissimilium ubiq; se
ostentat. Homines & serpentes adeò irreconcilia-
bili dissident similitate, ut statim viso serpente, homo ex-
pavescat, & fæmina uterum gerenti occurrens par-
tum abortu vitiet. Pernicia sunt cicutæ & ruta
odia. Celebre est Magnetis & allij dissidium,
nam Magnes allio perunctus, ferrum non trahit.
Allium etiam contra venena, contra viperas & rabi-
dos canes. Pullus gallinaceus vix natus, milzum è
longinquo conspectum horret, & fugâ ad matrem sibi
consulti. Equum v. bovem & alia longè grandiora
animalia nihil reformidat. Sic Smaragdus Epilepsiae
tota natura est contrarius; admotusq; corpori illi ob-
noxio, aut vincit & profligat morbum, retinetq; vim
suam & uitorem: aut à morbo superatur, amittitq; mox
vim suam & rumpitur. C 2 34. In

XXXIV. In specie humana etiam cæcum il-
lud regnare odium in confessu est. multi enim
caseum cæcis aversantur dissidijs totoq; animo ab ejus
esu, imò & visu abhorrent. Quidam sine animi de-
liquio odorem ferre non possunt: pariter multi felis præ-
sentiâ, etiam cistæ inclusæ adeo vexantur, ut fudent lar-
giter & facultas vitalis periclitetur insigniter. Sunt
qui ab esu butyri, carnium &c. in totum abhorrent.
Sunt qui pisces nunquam gustare possunt. Hujusmo-
di alia perplurima exempla legi possunt apud Joh.
Portam lib. i. Mag. Nat. p. m. 32. & 33. item Clariss.
Sperling. p. 339. & seq.

XXXV. 7. Qualitates occultas non oriri à
qualitatibus elementorum demonstramus hac ra-
tione: Quicquid supra vires Elementarium qualita-
tum est; id ab ijs provenire nequit. Qualitates oc-
cultæ supra vires Elementarium qualitatum sunt. E.
Major recto stat talo. Minor probatur, quia potissimæ
qualitates sunt calor, frigus, humiditas, siccitas. Con-
jungas hasce, & conjunctionem hanc, non novas ac ex-
cellentiores parere qualitates, sed priores turbare &
impedire spectabis. Dicimus ergò cum Clariss.
Sperlingio peculiares qualitates, peculiares po-
stulare formas. Ut enim maxima formarum est
diversitas, ita & qualitatum. Ad species si eundum,
judicamus qualitates illas nunc ad specificas, nunc ad

sub-

subordinatas, nunc ad partiales, nunc ad accidentarias referri posse formas. Magnetis qualitas à specifica fluit forma. Qualitas in ove lupum fugiente à forma ovis est specifica. Rhabarbarum cum purgat, vis purgandi non à specifica, sed subordinata fluit formâ. Mortuum n. Rhabarbarum purgat, non vivum. Sympathia cordis & auri ab his formâ specificâ, istius formâ partiali oritur. Antipathia quâ quidam caseum, alij vinum, alij carnes, butyrum, pisces &c. aversantur ab accidentarijs dependet formis. Hinc sâpè qui in pueritâ aversati fuerê caseum & butyram, in etate virili comedunt. Forma enim illa ad tempus saltem sine lege, sine necessitate infuit.

XXXVI. Hæc jam fuerê, quæ ratione instituti de qualitatum natura dicta voluimus: ad Magia & uberiorem explicationem & declarationem, Restat ut paucis attingamus jure ad hanc non spectantia, quæ huic tamen à multis temere adscribuntur, ut hac ratione scientia alias dignissima cedro, similis reddatur execrabilis, omnibusq; sic in rei veritate esse persuadeatur.

XXXVII. Advertendum igitur diligenter est, ¶

I.º In Magia naturali nullas adhibendas esse figuræ. Nam si ijs quidquam efficitur, dicimus id vel implicito, vel explicito præsta, i Dæmonis pacto; is n.

talia signa sibi constituit, ut quandam quasi tessera militarem. Quare in errore versaricos, qui soli figuræ, soli scripturæ, solis denique, vocibus, tantam mirabilum potestatem adscribunt, contendimus.

XXXVIII. Nam querimus unde efficiendi vis figurae inesse queat? Num ratione dimensionis sive quantitatis? at quantitas ut talis vim efficiendi habet nullam, ita consentiunt Philosophi; Num propriâ ratione figuræ sive generali sive speciali? sed neque sic efficiendi vim habet ullam, cum vix intelligi possit, figurae inesse perfectionem aut formalem aut virtutem rerum, quæ producuntur.

XXXIX. Non tamen obstat, quin figura sit plurium agentium necessaria conditio, in motu locali ac operationibus, quæ per hunc motum fiunt; in his siquidem multum interest qualis sit figura, & ita in artificum instrumentis efficit figura ut sic vel sic operentur; efficit etiam ut ferrum latum super aquas feratur, aliter figuratum mergatur, nulla tamen necessitas figuræ requiritur in occultis operationibus ab ipsa rerum naturalium Sympathia & Antipathia profuentibus. Et consequenter qui figuris sive sculptis, sive pictis; sive in aëre formatis, effectus certo procurant, existimandi sunt niti invocatione & pacto Diaboli vel explicito, vel implicito. Tales sunt

sunt, qui gestant chartas notis quibusdam obscuris notatas, amuleta dictas, quig utuntur consecrationibus figuris continentibus aliquas, in eum finem, ne vulnerentur, nec mergantur, aut ut morbos carent, aut alia impura consequantur; nec refert quod aliquando adhibeant verba sacra, quia male ē contra Ecclesie auctoritatem legitimus usum, ea adhibere non ventur.

XL. 2. Neq; verba adhibenda esse: Simile et in de ijs ferimus judicium. vis enim agendi nulla illis attribuenda, nisi per accidens: nam ratione soni possunt in audientem operari: Deinde ratione significacionis possunt audientem alterare Lætitia, timore ēque adferunt; Et ex consequenti nulla verba vim habent naturalem vel vulnera, vel morbos sanandi, aut maxas alias depellendi. Si dicas malis carminibus effectus mirabiles Magos operari ut constat; prolatis quibusdam verbis in auriculam tauri, cum concidisse ut mortuum, rursus alijs, cum surrexisse: item versus hos mederi Epilepsiae:

Casper fert myrrham, Thos Melchior, Balthazar aurum,
Haec tria qui secum portarit munera Regum,
Solvitur a morbo Christi pietate caduco.

Ad mortum canis rabidi commendantur hæc verba:
Hax, Pax, Max, Deus, Adimax. Ast quæ so quid verba? quid voces? hominum sunt opificia, ad concep-

ceptus communicandos, non ad effectus miros producendos formata. *Quantitatis nulla actio, nulla efficacia. Verba ut talia ad quantitatem spectant.* Quoties ergo vel in effectuum producti-
nibus, vel eventuum prædictionibus absq; revela-
tione divina, adhiberi audimus verba, non natura-
lis; Sed Dæmoniacæ Magiæ exercitium sub-
esse judicemus.

XLI. 3. Neq; adhibendas ceremonias: *non enim producit Magia naturalis effectus mirabiles, artificialibus futilitatibus; sed naturalibus qualitatibus.*

XLII. Pensatatis jam ijs, quæ ad nostrum potissimum Institutum facere videbantur, quam paucissimi, ut in Thesi 5. promisimus, perstringamus in-
dolem Magiæ illicitæ sive Dæmoniacæ, ut hac ra-
tione opposita juxta se posita magis eluceant. Hic
notandum, hanc Magiæ Naturali non opponi con-
tradictoriæ, sic enim nihil esset; nec contrariæ, sic res
positiva foret; non Relativæ, sic enim ad illam refer-
retur: Sed privativæ, defectum enim ejus notat.

XLIII. Magia Dæmoniaca est privatio ha-
bitus, quem in mancipijs suis supplere, conatur
Dæmon. Hæc certe feda ac Jordida inmundo-
rum spirituum incantationibus, quibus vi pacti vel ex-
pressa, vel implicita conventione mira efficiuntur. Fi-
nis

nis & media prava & execrabilia sunt; cum can-
tiunculis, figuris, characteribus, sigillis supersti-
tiosisq; ceremonijs peragatur. Quare hæc, cum
minimè Physica pars sit, neq; ars, sed potius artis abu-
ses veriq; habitus privatio, maximè fugienda omni est
conamine, adeoq; ex hominum societate exterminanda.
unde præter sacra paginæ illud interdictum, ne patiuris
maleficos vivere: In illam quoq; jus civile tum lege
i2.tabularum, tum sapè alias pænam sanxit, ut codice
de maleficiis; Atq; has ob causas multæ de inauspicata
bac agere, haud duxi opera pretium; sed sufficit nobis
impræsentiarum pro tenui ingerij minerva, de felicit,
permissa atq; ex occultis manifestisq; rerum qualitati-
bus profecti dixisse, Si imprimis feedum hunc sata-
næ fætum reduxerimus ad certas classes.

XLIV. Dispisci ergo potest in Divinatoriam,
Præstigiatoriam & effectoriam.. Divinatoria
est rerum abditarum, ope Dæmonis parta cogni-
tio. de his a. speciebus cum infinitæ sint, certâ de
causa hic agere supersedemus. Quibus has rimari
volupte est, apud Rev. Doct. Balthaz. Meish. part: ph.
sobriæ 2. sect. 2. c. 2. Clariss: Sperl: pag. 337. nec non
Pentecorum de Divinatione, &c. innotescere possunt.

XLV. Præstigiatoria est admirandorum ope-
rum, sed apparentium, auxilio Diaboli productio.

D

Hæc

Hæc a. in fascinacione potissimum consistit. Quare ab ipso Sathanæ præstatur tripliciter: 1. Objectum verum removendo. Sic rustico devoravit currum cum foeno & Equis. 2. Falsum offerendo. Sic convivis quidam apposuit Epulas lautissimas, at vix pera. Eto convivio, famem sensere sitimq;. 3. Sensus pervertendo. Sic uvas succi plenas quidam protulit, quas cum hospites attrectare & rescindere tentarunt, quivis loco uvae, quam se manibus apprehendisse credit, nasum tenebat, & cultro supernè apposito saltem non istum detruncavit.

XLVI. Hisce omnibus ita præmissis, nihil restat nisi ut contrahamus vela, cum portum jam jam affectemus securum, si tamen prius quasi appendicis loco Quæstiones quasdam non solum utiles, verum etiam necessarias, adq; præsentem materiam appositè pertinentes subjunxerimus.

XLVII. Sit ergo quæstio Prima. An animæ sagarum, vi Sathanæ, extra corpora abripi & ad nocturna comitia, transferri possint? Quam hoc discursu simpliciter damus negatam. Quod solius Dei est proprium, id creatura nulla præstare potest. Sed talis est hæc animarum abreptio & reunitio. E. Nam si Diabolus animam illam abripere, & vicissim cum corpore illo mortuo reunire valeret, hominem à mortuis resuscitaret, quod opus est creatoris omnipotentissimi.

XLVIII. 2. An Magi seipsoſ, vel etiam homines alioſ, convertere poſſint propriè in feles, lupos, canes & ſimilia animalia? *Aſt ſi naturæ vires perpendimus, altiori mentis acumine, hujusmodi ſpecierum transformationem non ſolum non admittendam eſſe, verum etiam abſurdissimam, recte & intrepide afferimus.*

XLIX. 3. An ope Magiæ Naturaliſ, corpora reddantur inconſpicua, aut etiam contra iectum injuriā immunia? *Negativa nobis, ut certiſſima, ita veriſſima placet. Dæmoniaca ſubeft, non naturalis.* Corpus enim coloratum, per medium recte diſpoſitum, ab aſtantibus recte ſeſe habentibus, non poteſt non videri. *Diabolus verò facile fascinare poteſt oculos aſtantium, ut videntes non videant.* Deinde etiam cum mollia ſint corpora, in duritiem quomođ naturaliter mutari poſſunt; Sed Diabolus ipſe hujus Comœdia eſt actor, iectus fuſcipit, mundumq; credulum ad ſe allicit, ut corpora cum animabus in gehennam & prætentiſſimam trahat perniciem, ut docteſ ſcribit Clariss: Sperling.

L. Cæterum qui plura de hac Magia ſcire deſiderant, quiq; veritatis ſtudio incenſi in occultarum qualitatum cognitionem acrius graviusq; incubunt. Consulere atq; peryolyvere poſſunt hos præclaris-

simos ac gravissimos Philosophos, nempe Scaligerum, Fernelium, Libavium, Casmannum, Horstium, Lemnium, Vallesium, aliosq; &c. mihi in hac ardua materiâ, hec paucula, pro ratione instituta & temporis, que modo dicta sunt, sufficient, quæq; quisq; candidus candidè explicabit.

Quod superest, D E U M supplicibus solicitamus votis, ut nos doceat naturæ abditi, in sui gloriam recte contemplari, hominumq; deliramenta non venerari, sed tanquam pestifera fugere, ut in omni opere perpetua gloria maneat ejus. Tibi Domine pro inestimabili tua sapientia, & imperscrutabili potentia sit honor & gloria. Amen.

COROLLARIA.

An Medicus qui non Philosophus? Neg. D.

An Medicus Magiæ sit peritus? Aff.

An Medicus quem finis suæ præcess interdum destituit, sit vituperandus? Negatur.

An sangvis hirci adamantem occulta proprietate rumpat? Resp. eum non tam ratione continentis, quam contenti rumpi.

An similia similiū; an verò contraria contraria sint remedia? Aff. utrumq; , sed diverse respectu.

Præ-

Præstantissimo, Ornatissimo & Politiſſimo.

D. JOHANNI MUNTHELIO,
Philosophiae Candidato dignissimo, de Magia Na-
turali, pro summo in Philosophia gradu
consequendo, docte disputanti.

IS Magus est curæ cui sit miranda Magia.
Naturæ vires quæ docet atq; vices.
Multarum quoniam prodit mysteria rerum.
Ut cultoribus hec sunt patefacta suis.
Hoc studium, JANNES, velut excolis arte polita
Sic sophos atq; Magus ritè vocandus eris.
Hinc poteris felix occultas noscere causas
Unde fuit nomen naæta Magia suum.
Pergito sic Musis sacris incumbere. Apollo
Confestim tribuet præmia digna tibi.

Amico suo singulariter dilecto,
honoris & amoris conte-
standi ergo hæc subjunxit

NIC. NYCOPENSIS,
Log. & Poëf. P. P.

Præstantissimo & Literatissimo Juven-Viro,
Dn. JOHANNI MAT. MUNTHELIO
Medicinae Studioso, selectioris Philosophiae Candi-
dato dignissimo, Sympatriote & amico certissimo.

Cur Magiæ studium pariens Encomia famæ
Nunc jaceat sterile, & populis sit fabula facta,
Celsus vera dabit Phæbus responsa petenti:
Hoc facit, hoc faciet delirans turba malorum,
Ingenuas artes conspurcans dogmate fœdo.
Si cupias addi laudem tollatur abusus,
Grandia perpetuò sic usus commoda monstrat.
Rite facis Iarmes decus immortale Magistri
Omine nunc quærrens, jussus dum dissérvis aptè,
Quid studium magiæ veræ mereatur honoris,
Quid ve mali semper fœdi miracula monstri.
Onimium fœlix! Musæ cui tanta locarunt,
Carmine lœtifico, sic gestio plaudere lœtus
Ingenio dotes pingues, non hispida barba.
Contulit: ast studium Vigilans & cura laborq;
Abdita sic pergas rimari sensa Minervæ,
Palladiæ dabitur virens mox fama coronæ
Undiq; si rodat Momus tua pectora Morsu,
Ne timeas; Musas venerari tempore quovis
Hoc cicu et Momum, nimia sic fronte tumentem.
Tu maneas proprijs clarus virtutibus orbi.

L. Meritoq; felinanter
scripsit

M. PETRUS J. HELLENIUS Arosiæ-Westm.
Theolog: Studiosus,

Hu-

Humanissimo ac Doctissimo Philosophiae Candid:

Dn. JOHANNI M. MUNTHELIO,
Pro Gradu in Philosophia publicè Disputanti, patrio-
tæ & amico suo sincere colendo sic applausus.

Divinæ Studium præstat quid nosse Sophiæ
Quæras? en confert docti memorabile nomen;
Corde mero grator tibi præstantissime Jannes,
Qui tuleris laudem hanc, Musarum castra fecut'z.
Perge modo simili dulces libare liquores~
Castalides; grandi multos tunc ore docebisis.

L. mg. sed crenā volanti
LAURENTIUS JOAN. FOLKERNIUS
Westmannus.

Politissimo.

Dn. JOHANNI MAT. MUNTHELIO,
Philosophiæ Candidato dignissimo, amico
optime de se merito.

Jannes, venustum cor charitum trium,
Jamq; approbato pergis in ordine,
Non denegavit grata grato
Pegasis alimenta roris.
Ad summa duxit templa biverticis
Clivi beato tramite Pythius,
Attraxit Eſ quondam polivit:
Ditta dies hodierna monstrat,

Ergo

Ergo probatis cognite moribus
Vestmannæ nobis, te quoq; cæperat
Pergendi is ardor quo decorem
Ingenij tibi comparares;
Superna virtus numinis hoc facit.
Ut scilicet muto cineri focus
Suppositus, aut tandem calore
Proditur, aut penetrante luce:
Sic Es tuae mentis vigor igneus
Nunquam potest celari; emicat;
Et semper ingratæ molestia
Damna moræ malefici, Amice.
Hinc insequetur laudis adores
Te fructuoso sidere: sic patri,
Sic patriæ felix refundes
Egregios pietatis ausus.

Charitatis Symbolum ut potuit,
ita apposuit.

JOHANNES MATTH.
Arbog. Vestm.